



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 8. Emendati Varronis loci duo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Nam ter sub armis malim vitam cernere.

Hoc autem Euripides, ex quo illam fabulam vertens Ennius, dixerat, *πὴρ ἀσπίδα σῆναι*. cū enim Medea multa quæsta esset de infelicitate mulierum: addit, cernere eos, qui putant, melius agi cum mulieribus, quā cum viris; propterea quod illæ domi vitam sine periculo exigant: cū viris sæpe sit de vita in bello dimicandum, se enim, si optio detur, malle ter vitam sub armis, ut locutus est Latinus poëta, cernere, quā mel parere. Euripidi versus subiiciam:

Λέγεις δ' ἡμᾶς, ὡς ἀκίνδυνον βίον
 Ζῶμεν κατ' οἴκας, οἱ δ' μάραν' ἴδεις,
 Κακῶς φρονῶντες ὡς τοὺς ἀπὸ πᾶσ' ἀσπίδα
 Στῆναι θέλομε' ἀλλ' ἄλλοι, ἢ τεκῆν ἀπαξ.

Enendati Varronis loci duo.

CAPVT VIII.

ARISTOTELES libro tertio ad Nicomachum, homines intemperantes & asotos, cū in voluptatibus versari dixisset quæ communes sunt nobis cum mutis animantibus, iis nempe, quæ gustata percipiuntur, quæque tactu; addit postea, eos gustata aut nihil omnino, aut perparum uti. cū enim gurgites illi ita vinum in guttur suum quasi in vtrum aliquem inuergant, nihil curantes, nisi ut quamplurimum exhauriant, propè ut percolando vino nati esse videantur, non admodum possunt eius suauitatem gustando percipere: cū contrā delicati & elegantes homines, qui grato illo liquore linguam sibi ac palatum probè titillari volunt, paulatim eum in gurgulionem instillent veriùs, quā infundant, guttatim prope ducentes: etiam antequam bibant, oculis poculum sæpe ac naribus admouentes, nulla ut sit in eo particula suauitatis.

suavitatis, quam non ipsi accuratè exprimant, exqui-
siteque persentiant. quod in Euripidi Sileno optimè
cerni potest. id nō faciunt, qui gutture tantum pro in-
fundibulo vtuntur. Hoc autem auguror dixisse etiam
Varronem in ea Satyra quæ inscribatur, Est modus.
matula. *ἢ μὲν οὖν*. inde enim citantur hæc: *Quis in omni*
vita helio modo olfacit temetum? quæ ego ita quodam-
modo legenda censuerim; *Quis in omni vita heluo probè*
olfacit temetum? potest autem aut propriè vsus esse ol-
faciendi verbo, aut etiam illud ad gustatum transtu-
lisse. Sed haud alienum fore puto, si ex eadem Satyra
versus aliquot attulerim, quibus vinum elegantissimè
celebratur:

Vino nihil iucundius quidquam cluit.
Hoc aegritudinem ad medendam inuenerunt.
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc continet coagulum conuiuia.

Duo versus Horatij conuersi è Simonide.

C A P I T U L U M IX.

DVDVM admonui, versum illum Horatianum,
Mors & fugacem persequitur virum,
ad verbum expressum esse è Simonide; illum enim ita
cecinisse:

Ὁδ' αὖ θάνατος ἐφίκε καὶ τὸ φουγέμαχον.

nunc cum in alium inciderim, qui itidem ex eodem
poëta conuersus est, annotandum duxi. est igitur Ho-
ratij quidem hic:

Quicunque terra munere vescimur:

Simonidis verò, *Εὐρυέδης ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα θανάτος.*
qui ex Homero, vt videtur, sumpserat:

Εἰ δέ τις ἐστὶ βροτῶν, οἱ ἀεὶ κερὸν καρπὸν ἔδυσσι.

reperitur autem Simonideus apud Platonem in Pro-
tagora,

Act. Martini
Lectio
LIII
25